IOSEPHO · ZACCHIAE

PRAEFECTO · VRBIS

INTER · PATRES · CARDINALES

ADLECTO

SEBASTIANVS · ET · IOSEPHVS

FRATRES · ROSSII

INDEPTVM · SACRAE · PVRPVRAE · DECVS

GRATVLANTVR

ELEGIA

Dum te purpurei, Pater optime, Roma galeri
  Munere sacratis patribus adnumerat,
Sollemnesque parans tibi late indicere honores
  Non quaerit fastus amplius illa suos,
Cum Jovis aeternam conscendere Caesar in arcem
  Visus, et evincti brachia capta duces;
Eccur dilectas jubeam cessare Camenas,
  Ne tangant resonae pectine fila lyrae?
Eccur non festo modulabor carmina cantu,
  Gaudia nec laeti pectoris evoluam?

Qualis inexpertus medium progressus in aequor
  Tentat ad ignotas navita adire plagas,
Quae fugere ex oculis, ut somnia vana, videntur
  Frustratae illius vota mage atque mage;
Talis difficili non sat bonus arte Catulli
  Accingar laudes ipse referre tuas,
Quas fertur tranans pernicibus aera pennis
  Ad semota procul fama tulisse loca;
Quandoquidem faciles edocta Lutetia mores,
  Quae miti Gallos temperat imperio,
Sustulit aeterii te clarum ad sidera coeli,
  Ornavitque tuo nomine ephemeridas.
Nam quid ego memorem benefacta, tuaeque labores
  Vitae? quam humano profueris generi?
Testis adest Frusino, cives cum turba latronum
  Bacchans vicinas impia per siluas

Terruit, innocuoque manus infecta cruore
  Complevit raptis abdita lustra opibus,
Quae simulac contra te vidit in arma ruentem,
  Ancipiti perhibent obticuisse metu,
Et propere in solas trepidam fugisse cavernas,
  Cornuaque assuetum oblita ciere sonum;
Tunc, duce te, miseris iterum pax fulsit in oris,
  Desuetosque diu rettulit alma pedes;
Sic, ubi turbato nigrescunt nubila coelo,
  Iratoque tonant fulmina missa Jove,
Sol redit, exoritur si lucidi amica sereni,
  Quae nigro tenebras exigat aura polo.
Dic, age, Roma, virum gremio tibi namque fovere
  Contigit, et sacris addere judicibus,
Quos propter, fateor, doctas imitaris Athenas,
  Et reficis regni saecula Cecropii;

Dic, age, ut in viduo mulier deserta cubili,
  Scilicet a cupido nescia vulturio
Comparis extincti modicum defendere censum,
  Absumat gnatos ne macilenta fames,
Auxilium implorans, facili ceu numine, ab illo
  In risum potuit vertere tristitiam.
Sed quo te, nostri rarissima gloria saecli,
  Concelebrem digno carmine, magne Pater?
Quippe tibi aeternae decorato fascibus urbis
  Obtigit experta ducere frena manu,
Hic ubi, praecipuo auctus Cincinnatus honore
  Rebus in afflictis consuluit patriae;
Hic ubi Romanis prope jam nutante columna
  Egregiam valuit ferre Camillus opem.
Fortunate Pater, insignibus utere fatis,
  Quae merito virtus jam tibi deproperat:

Exaudi, ut laetis resonant applausibus aurae,
Felsineum Sinnus qua rigat Oppidulum,

Oppidulum, tibi quod patriae telluris ad instar
Saepe olim gratum praebuit hospitium;

Quare, dum ad magnos attolleris, inclyte, honores,
Hoc tamen Oppidulum te meminisse decet;

Sic prope cum Superum vita poteretur Ulysses,
Nempe dies tecum, filia solis, agens,

Nunquam Ithacae oblitus jucundae dicitur orae,
Arsisse at patrii semper amore soli.

Josephi Rossii

Faventiae die 15 Aprilis 1845
Imprimatur
Fr. Hyac. Ant. Bragieri O. P. Inq. Gen.

Faventiae die 15 Aprilis 1845
Imprimatur
Aloisius Ottavj Vicarius Generalis

FAVENTIAE

EX TYPOGRAPHEO MONTANARII ET MARABINII

MDCCCXLV.